

post patrem et genitricem,
pet quam ingentem canem do-
mum « Fidus », ac naviculas
ei mater confecerat. Has gau-
s et ille navita, mari imponere,
atis ampio, quod mater imple-
ae tum gaudia puelli! Quum,
rzanius,

*ndans dedit navita labrum
iae labens innat amne levis.
ens; prope stat, nec lumen ab illo
detorquet, verbaque lumen habet.*

a multa maiora fuerunt, quum
accipit, parvula dona, duos

*er quorum vel subnatat undis
redit, quam freta cuncta pavent;
orax tegit impenetrabilis armis,
fluctus, aequora summa legit.*

imprudens puer, ancillam fal-
um proximi nemoris cum na-
, puppesque vado committit,
*exit vitreos infindere sulcos,
etis vocibus omne nemus.*

o retrahere vellet lintriculos,
eius e digitis elabitur.
*nbit, dextra comprehendere tendens;
lapsat, volvitur inque lacum.*

aderat « Fidus », qui ut laben-

*tem . . . se mittit in undas,
rrepta, dente reducit herum.*

s h̄c exscripsimus, versiculi e
satis lectori ostendunt, quam
a fluat Faverzanii narratio, Ovi-
erat gratiam.

carmen Almae Romae Mode-
cum eleganti dedicatione ver-
yllabis concinnata, de qua gra-
o persolvitur.

FRANC. X. REUSS.

is Dr. FORNARI, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba, Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Aquila, Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bari, Bengasi (in Cyrenaica), BRESCIA, CAIRO (in Aegypto), Canale, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Garfagnana, Centallo, Città di Castello, Cortona, COSTANTINOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano, Frascati, Frosinone, GENOVA, Grosseto, LIONE, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovì, Monsampietraneli, Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI, Pinerolo, PORTO SAID, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a) iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore convenientem est;* *b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4½%, si mensium duodecim;* *c) parsimoniae fovendae sub specie, anno fructu 3.60%, cum facultate quotidie defendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.*

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a) perscriptiones compensat duarum personarum certa tide pollutum subscriptione imunitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argeharia res publice agatur;* *b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit;* *c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae private;* *d) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur;* *e) exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet;* *f) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat;* *g) res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.*

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandum, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. – Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

ae in propriis aedibus
a S. Marcello)

EXTERAS CIVITATES:

zzano Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in
, Canale, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gar-
Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano,
MILANO, Mondovì, Monsampietr'angeli, Mont-
volo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Tar-
LI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

TIONES ET NEGOTIA.

nomine accipit: a) iuxta quotidianas
ata facultate quotidie exigendi usque
0; dierum quatuor, lib. 50.000; pro
b) computationibus pariter quotidianis,
ensium sex; 4¹/₂ %, si mensium duo-
3.60 %, cum facultate quotidie defe-
lib. 300. De maiore vero summa man-
septem usque ad lib. 5000; ad dies

riptiones compensat duarum persona-
es tres solvendas; idque pro omnibus
estimatum ad formam, iuxta italicam legem
rovincia requirentibus subvenit; c) in
t sub praesidio fundorum publicorum,
privatae; d) litteras emittit ex credito
im maxima aguntur; e) exteris num-
res in custodiam accipit, pro iisque
tat; g) res administrat tum consocia-
Nummariae sunt.

LAE,, Sociis

latine scripta venum dantur,

culi prandium, Milesiae
ea facile agendis. – Singulae

novi flores. – Si tegu-
a aureoque titulo, lib. 2,25.

Romam, Actiones drama-

ae, Milesia fabula. – Lib. 1.

tinis. – Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40;
march. 10; rubl. 4¹/₂; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM
FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

De Nationum foedere Lutetiae Parisiorum edicto

Quod felix, bonum faustumque sit, die
xiv huius mensis Februarii MCMXIX in Pa-
risensi de pace componenda conventu,
legatis omnibus suffragantibus, a Wilsono,
Civitatum Foederatum Americae Septen-
trionalis Praeside, certa rogata est lex,
per quam nationum foedus constitueretur,
unde novus, ad tranquillitatem ordinis
iugiter servandam, rerum ordo exoriri
deberet; per quam scilicet contra imper-
atorum de iure vis conceptum, iuridicus
de iuris vi sensus triumpharet.

Qua quidem in victoria, post tantum in
cruentissimis pugnis sanguinem effusum,
perenne omnino agnoscere datum est
per implicatas praecipitesque historiae
vias Providentiae Divinae illud praesi-
dium, quod Ioannes Baptista Vico « Scien-
tiam novam » suam instituens, patetfecit,
atque deinde Italus alter, Caesar Balbo,
magna doctrina in « Historicis meditatio-
nibus » a se conscriptis latius explicavit.
Homines scilicet in ruinis et funeribus
vagantes, quasi inscii a Numine ad met-
tam trahuntur, quae una in Divina Mente
infallibili successus certitudine designatur.

Excelluit igitur pro Christiana huma-
nitate Ius Christianum; et si novus histo-
riae saeculorum ordo est inditus, si ius no-
vum ab antiquae aetatis eversione adsur-
git, profecto haud nascitur hodie; quippe
quod, ex naturali vi sua, aeternis Chri-
stianae doctrinae praecepsis continebatur,
unde ortum et alimentum eduxit; est enim
Internationale Ius Christianum.

**

Cuius quidem iuris quaestiones tres
maximam partem attingunt; ipsae nempe
illae, in quas praecipue incumbere, quas-
que studiosorum hodiernorumque civi-
lium virorum mentes exsolvere debent:
Gentium in nationes partitio; Nationum
societas; quaeque, recens inducto vocabulo,
« Internationalismus » vulgo appellatur.

Atqui huiusmodi quaestiones indisso-
lubili vinculo necessario inter se conne-
ctuntur; namque per gentium tantum in
nationes partitionem nationum Societas
intelligi potest; eaque non quidem atomi-
stica, sed ex foedere constituta, hoc est per
internationalismi principia.

Res autem, ni fallimur, iuxta Christiana
doctrinam ita componitur: Gentium
in nationes partitio, populorum scilicet
qui communibus iisque aequis proclivita-

tibus studiisque devincti eademque voluntate moti ut liberi suique iuris sint, intimam naturalemque plurium hominum unionem indigitat, qui per hanc voluntariam unionem Providentis Dei consilium in historia, in humani generis consortio prosequuntur. Hoc « unionis principium » humanam omnem societatem respicit; humanum, inquam, omne genus, secundum naturam in coetus divisum, ex voluntate singulorum hominum, quamlibet nationem efficientium, per aequas proclivitates expressa.

Nationes vero plures sunt, omnisque generis diversitates eae offerunt: sequitur inde necessitas validae ac firmae internationalis societatis, quae iura singularum nationum tueatur. En itaque Nationum Societas gentilicio principio fulta, quam Socialistarum factio respuit, imo impedit; est tamen naturale principium idque christianum. Per hanc nationum societatem, conventum scilicet nationum in unitatem internationalem compositum, licet quaeque natio una atque sui iuris maneat, « concordiae organicus internationalismus » efficitur inter civitates suis legibus libere constitutas. Christianis ergo hisce rationibus consideratus, longe ab socialistarum internationalismo noster distat; atque ne dum gentium nationum principium excidat, ab eo, tamquam summae necessitatis principio, efficientem causam repetit; liquidum enim appareat quum civitates liberas suique iuris dicimus, « nationale principium » nos affirmare; quum autem concordiae coetum invocamus, internationalismum asserre, christiana doctrinae praeceptis omnino informatum. Nulla igitur exstat repugnantia inter genticum nationis principium christianumque internationalismum; quin etiam vera est ingenuaque concordia inter res, specie antitheticas; quam quidem concordiam una mirabilis Christi doctrina instaurare valet in gentium bonum, nationumque felicitatem.

**

Iustum itaque causam habemus cur foederi ad nationum societatem constituendam inito, ex animo plaudamus. Quisquiliis, modicaeque fidei virorum dubiis remotis,¹ ipsius societatis adventum expectantes, magnis omnibus eius promissa persequimur: sunt enim et praemissa, quae ad firmam diuturnamque pacem in terrarum orbe constituendam, iam diu ac prae ceteris omnibus, enunciaverat Benedictus XV, Christi in terris Vicarius.

ROMANUS.

¹ Istius generis mihi videntur quae G. de Lamarzel edixit, exque gallico idiomate translatā, retulit in nostrum commentarium (Ann. V, fasc. XII) I. Tasset. Ea autem edita apud nos fuisse, credo, ex una ratione, quae in titulo « Scripturae diurnae spicilegium » apparebat: nempe ut demonstraretur et de recentissimis rebus, quavis lingua scriptis, latine dici posse. — Ita quidem; nos enim ROMANO nostro omnino assentimur, implorantes ut una vox Dei hominum menti et animo ad nationum societatem re efficiendam loquatur. Ceterum *Almam Romam* palaestram esse volumus, in qua, christiana fide ac moribus servatis, libera cuique fiat disserendi potestas (*Re-dact. adn.*).

De novi Codicis Canonici praestantia¹

Magno censu haberi solent et amplissimis apud gentes extolli verbis legislatores, qui suis populis, dubio vel non satis definito iure adhuc utentibus, certas ac definitas leges ferri curarunt, eisque codices iuris apte ordinatos considerunt, unde possent deinde subditi propria singuli iura strenue defendere, tuto gressu in agendis procedere, et omnes iusta lege secundum aequitatem regi. Celeberrimus

¹ Oratio habita apud Athenaeum Pontificii Seminarii Romani die 30 m. Ianuarii 1919, in solemnī praemiorum distributione.

omnium inter homines legislatorum recensendus est Moyses, qui tamen non suam sed a Deo receptam legem tulit Hebraeorum populo. Mittimus recolere legislatores alios ab antiquis celebratos, ceu Thot, id est Mercurium (Hermetem) Trismegistum in Aegypto, Ninum ac Semiramis in Assyria et Babylonie, Zoroastrum in Persia, Manū in India, Confucium in Sinis, Minoem in insula Creta, ceterosque similes; quoniam si leges cognoscimus istis nominibus inscriptas, eorum tamen hominum memoria, qui leges istas condiderint, fabulis est, non vera narratione nobis transmissa. Notiores profecto sunt Graecorum legislatores, imprimitusque Lycurgus Spartae, Draco et Solon Athenis, quamvis nec certo investigata ea omnia dicenda sunt, quae de ipsis historicī quoque tradiderunt.

Praeclariora codicum legalium exempla nobis offert iuris romani historia, ex iisque tria praecipue sunt attendenda iuxta triplex iuris ipsius genus praecipuum, videlicet *Lex Duodecim Tabularum*, unde primario desumebatur ius civile; *Edictum perpetuum*, ad quod referebatur ius praetorium; *Codices imperiales*, quibus collectae habebantur Principum constitutiones.

Pauca breviter de singulis. Primus et antiquissimus Codex romani iuris fuit celeberrima illa Lex duodecim Tabularum, quae eo consilio fuit vulgata, ut tandem finem haberent iurgia, contentiones et aspera certamina inter patritios ac plebeios saepius inita. Conventum est sane de creandis decemviris, qui leges considerent utrisque utiles et aequanadas libertati idoneas: leges istae magno plausu fuerunt tunc primum receptae; temporibus autem successivis adeo magna aestimatione habitae, adeo laudibus celebratae, ut Livius (III, 14) Legem duodecim Tabularum appellaverit « fontem omnis publici privatique iuris », ac Cicero ipse de ea scribere non dubitaverit (*De Orat.*,

I, 44): « Fremant omnes licet, dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur duodecim tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare... Incredibile est quam sit omne ius civile, praeter hoc nostrum, inconditum ac paene ridiculum. ».

At vero illud duodecim tabularum ius, quamvis nobile et egregium, erat tamen proprium rudis etiamtum populi, civitatisque incipientis; ideoque imperfectum, inabsolutum et in quibusdam durum et iniquum: necesse ergo fuit illud evolvere, completere, emollire. Quam explendam provinciam suscepserunt Praetores, qui suis annuis edictis perpetuis, quum methodum exponerent, quam in iustitia administranda securui essent, plures reapse induxerunt iuridicas regulas, quibus ius civile adiuvabatur, supplebatur, corrigebatur. Quod ius praetorium in Edicto propositum, temporum successione mirifice est expolitum atque perfectum; quoniam singuli praetores, etiamsi facultate mutandi Edictum fuerint instructi, tamen a praedecessoribus receptas ac probatas regulas plerumque retinuerunt, novasque dumtaxat addiderunt, si visae fuissent omnino convenientes: hac ratione *pars translatia* Edicti iugiter crevit amplitudine et momento, ita ut, tempore Ciceronis, iuris disciplina maxime desumeretur ex praetoris Edicto, quum veteres iurisconsulti eam ex lege duodecim tabularum acceperint. Exente Republica, Praetores iam pauca in Edicto ausi sunt inducere nova, non quod amisissent ius dicendi, sed quod, ineunte Imperio, fuisset eorum potestas deminuta; indeque ut Edictum revera esset perpetuum ac immutabile, iussum est ab Imperatore Hadriano in meliorem formam ordinari ac definiri; quod opus egregie explevit maximus ille iurisconsultus Salvius Julianus.

Sed interim alius fons eruperat romani iuris, usus nimirum constitutionum imperialium; quae ita numero ac dignitate creverunt, ut, aliis obscuratis fontibus, hic remaneret praecipuu ac fere unicus. Quum igitur multiplicarentur constitutiones imperiales, urgebat necessitas eas in unum corpus colligendi; idque primi effecerunt privati nonnulli, unde originem traxerunt *Codices Gregorianus et Hermogenianus*. Sed tanti momenti visa res fuit, quae requireret auctoritatem ipsius Principis; quare Theodosius iunior componi iussit authenticum *Codicem legum imperialium*, a suo nomine *Theodosianum* appellatum.

Sed post uberrimam iuris Romanorum evolutionem, maius adhuc requirebatur opus, ut Romanorum ipsum ius amplissimum redigeretur ad unitatem, brevitatem claritatemque necessariam. Huiusmodi opus erat servatum honori ac nomini Iustiniani Imperatoris, qui praemittens in suis *Institutionibus* breve compendium totius iuris romani, postea ex innumeris iurisconsultorum romanorum operibus collegit atque enucleavit in *Digestis seu Pandectis* universum ius civile simul et praetorium cum praeclera illa iurisprudentia, quae ius utrumque mirabiliter exposuerat; edidit quoque semel et iterum novum *Codicem imperialium constitutionum*; hisque tribus collectionibus iuris, alias deinde adiecit plurimas constitutions *Novellas*.

Codices ipsi Iustiniani vim suam ac valorem in foro saeculari per diversas nationes retinuerunt usque ad hodiernam tempora; passim interim conditae sunt a singulis populis novae leges, et novae pariter compositae iuris civilis collections; sed quae rudes erant aut imperfectae, vel peculiaris argumenti leges continebant, seu non consulebant aequaliter communii civium omnium utilitati, nec singulorum iura pariter tuebantur. Donec tandem, recentiori aevo, primus verus codex civilis

iuris a Napoleone fuit editus, ad cuius exemplum ceterae gentes, nedum civilis strictim iuris dicti, eximios codices sibi constituerunt; sed et ius publicum aut constitutionale, ius poenale, ius commercii et cetera huiusmodi in codices redegerunt.

**

Sed iam profana relinquentes, sacrum ius nostrum inspiciamus. In Ecclesia, vel a primis temporibus comparuerunt legum canonicarum non pauci Codices, qui vulgato nomine *Collectiones canonum* solent appellari. Illae tamen syllogae priores non fuerunt generales pro universa Ecclesia, quum essent collectae ex particularium maxime conciliarum statutis, vel ad summum per nonnullas tantum regiones usu extendebantur. In Oriente celebriorem gloriam obtinuerunt *collectio Ioannis Scholastici*, *collectio* quae dicta est *trullana*; tandem amplissima *Photii collectio*; in Occidente tamquam praecipuae celebrantur collectiones *Dionysiana et Hispanica*. Huiusmodi praeterea vetustiores collections privatae generatim consilio sunt adornatae, nulla legislatorum ecclesiasticorum interveniente auctoritate, si quasdam paukas excipiamus, veluti *Africanam*, in Carthaginensi publicatam concilio XVII, prae-fatam *Hispanam et Dionysio-Hadrianam*, in magno Aquisgranensi conventu receptam ab episcopis Imperii Carolingii.

Serius editae sunt ampliores canonum collections, quae maiorem universalitatem sunt adeptae; ex quibus notissima illa *pseudo-isidorianam* collectio, quae, licet in pluribus spuria, nacta est fere universalem in Ecclesia usum; sed tum ista, tum ceterae posteriores, fuerunt, pariter atque aliae veteres, opus privati ingenii et auctoritatis; etiam ipsae collections, quae praeceteris validius nomen obtinuerunt, ut *collectio Anselmo dedicata*, *Decretum Burchardi*, collections *Ivonis*

Carnotensis. Et vel famosissimum *Gratiani Decretum*, licet praecelleret omnibus prioribus collectionibus et copia canonum collectorum, et meliore ordine, et maxime concordia discordantium canonum, fuit tamen opus mere privatum, quod sicut privato studio ortum est, ita semper privatae auctoritatis remansit; siquidem, etiamsi illud contineret leges omnes veteres, quae vigorem in Ecclesia retinrent adhuc, proindeque illius usus et in foro ecclesiastico et in scholis iugiter usque ad nos perseveraverit, tamen vis et auctoritas illis canonibus agnoscebatur, quae ipsis competit ex propriis auctoribus; nec ullum robur fuerat eisdem conciliatum, eo quod in Gratiani collectione continerentur.

Successerunt *Decretalium* compilations: ex iis pleraque fuerunt similiter privatae. Sed iam tunc temporis Supremus Legislator, Pontifex videlicet Romanus, negotium colligendi ecclesiasticas leges tanti censuit momenti, ut illud sibi assumeret perficiendum, eidemque interpolauerit summam sui ipsius auctoritatem; atque adeo habitae sunt priores authenticae collections, quae prodierunt ab *Innocentio III et Honorio III*. Sed et ipsae pontificiae collections paulo post vim suam amiserunt; etenim Gregorius IX iussit redigi amplissimam *Decretalium Collectiōnem*, abolitis ceteris omnibus *Decretalium compilationibus*, etiam authenticis, prius editis. Illa *Gregoriana collectio* est cuique notissima, quum decursu plurium saeculorum fuerit celeberrima in iure nostro et passim citata, quoniam revera e tempore sua promulgationis usque ad novum codicem fuit centrum et fulcrum totius legislationis ecclesiasticae; eidemque cetera iura canonica coordinabantur ac referebantur. Novas deinceps et similiter praeclaras *Decretalium* collections authenticas condiderunt Bonifacius VIII atque Clemens V.

Quibus aliae pariter sunt addenda recentiores quaedam authenticae collections, imprimisque nobilissima illa et maximi valoris *Collectio decretorum sacrosanctae Tridentinae Synodi*; et in eodem authenticitatis censu adnumerare oportet *regulas Cancellariae Apostolicae*, *primum volumen Bullarii Benedicti XIV*, *Collectionem decretorum S. C. Indulgentiarum*, ac maxime *collectionem* sic inscriptam *authenticam decretorum S. R. C.*

Nec defuerunt quoque hisce recentioribus saeculis privatae *Canonum syllogae*; quin e contra plurimae reapse extiterunt; sive colligerentur pontificiae *Decretales*, ut in *Extravagantibus* tum *Ioannis XXII*, tum *Communibus*, sive *RR. PP. Constitutiones*, ut in *Bullariis*, sive *Conciliorum acta et canones*, ut in pluribus *Conciliorum collectionibus*, sive *decisiones Officiorum Sanctae Sedis*, ut in multiplicibus collectionibus decretorum *Sacrarum Congregationum*, *decisionum S. R. Rotae*, et alia huiusmodi.

**

Qui omnes legum canonicarum codices, sive privatae sive praesertim publicae auctoritatis, fuerunt utique suo tempore et usque ad nos ipsos uberrimi fontes plurimae nec spernendae utilitatis. Sed iam nostris hisce diebus res eo devenerant, ut necessarius, immo maxime necessarius, ab omnibus communiter expeteretur novus canonici iuris Codex. Siquidem vel ipsae authenticae collections erant in primis plures ad invicem distinctae; supra enim octo saltem enumeravimus, nec inter se fideliter concordabant; quare destituebamur commodo unius et uniformis codicis authenticici. Graviora insuper incomoda aliunde oriebantur; nam ipsae publicae collections abrogaverunt utique plures canones ante ipsas conditos, sed non omnes; ita ut recurrere aliquando deberemus non ad solum Gratiani Decre-

tum, verum etiam ad fontes antiquiores; nec facile certiores fieri licet de vetustioribus legibus, utrum vigerent adhuc, necne. Numerosiores addebatur privatae sylluges, quae frequenter erant evolvendae; nec aliter invenire possemus quasdam maximi momenti canonicas sanctiones. His adde plures novos canonies, innumeris Pontificum constitutiones, infinita Sacrarum Congregationum decreta resolutionesque, atque insuper alias aliasque ecclesiasticas leges, quae adeo numero excreverant, et adeo confusa inordinatione per innumera volumina erant dispersae, ut summopere arduum iam evaserit ius canonicum certum e suis fontibus eruere, et ad rivulos Doctorum recurrere necesse esset, qui nec prorsus genuini, nec semper certi vel completi offerrentur. Et eo vel minus poterat quis inter tot tamque diversas leges ita discernere, ut fidenter asserere valeret, quid de aliquo iuris capite esset indubie tenendum, quid in casibus peculiaribus ad rem esset deducendum, quid in censu regularum canonicarum esset recensendum; siquidem aliae leges alias abrogabant, detrahebant, ampliabant, declarabant, vel aliis diversis rationibus immutabant; unde etiamsi accuratissimum studium praemiseris et summam diligenter, nondum tamen saepe saepius concludere poteras rem esse clare et indubie definitam, nec legem planam ac certam invenire, quae in casibus particularibus esset tuto applicanda atque fideliter servanda; et causa definiebatur ex doctorum privatis sententiis atque opinionibus.

Alia praetereo incommoda. Si enim legum formam attenderimus, erat nimia legum prolixitas, quae plura inutilia coacervabat, confusionemque inducebat; erat inflatio et exorbitans amplitudo verborum, confusus stylus; si proxim inspexeris, erant non pauca iuris statuta satis difficilia, quae possent observari; ac cetera huiusmodi. Dicam solummodo de alio incom-

modo gravissimo, nostram scilicet canoniam legislationem non amplius in pluribus disciplinae capitibus iam respondere temporum conditioni; quoniam plures canones vetustate fatiscerent, utpote qui multis abhinc saeculis conditi essent; plura similiter adessent in iure canonico, quae parum hodiernis moribus accommodata reperirentur; plura e converso deficerent, quae a currentis aevi necessitatibus prorsus exigerentur.

Erat ergo quam maxime necessarium novam iuris sacri collectionem componere, quae non solum fulgeret authentiae charactere propter adiectam Summi Legislatoris auctoritatem; verum etiam esset, quantum rei dignitas et gravitas pateretur, codex unicus in se complectens totam, si liceret, atque integrum canonum vigentium legislationem; generalis pro Ecclesia universa, brevis quoad formam, clarus et concinnus, novis denique hodierni temporis conditionibus accommodatus.

(Ad proximum numerum).

PHILIPPUS MAROTO
Iuris Canonici Professor in Pont. Sem. Rom.

De veteri Christianorum lingua¹

Hieronymus Strydonius.

Quum ad Hieronymum pervenerimus, a quo sermo noster exorditur, de *veteri Christianorum lingua*, haud abs re esse nostra iudicamus, si de ipso, de studiis, quibus diu atque impensis strenuam operam dedit, pro viribus describere nitimus. Quod quidem commodum arbitrabor, meisque lectoribus dulcissimum, quoniam plerumque ipsum de se scribentem, data opera, in medium referam. Nec tibi sim molestus haec scribendo timeo;

... tamen aspice, si quid

Et nos, quod cures proprium fecisse loquamur.

¹ Cfr. fasc. sup.

Hieronymus, Strydone apud Dalmatas natus, Christianis usus est parentibus itemque piissimis, qui domi statim optima institutione eum imbuendum curaverunt. Attamen et publicas scholas adivit, et « memini, - ait, - me puerum ad saevientem Orbilium de aviae sinu tractum esse captivum ». Vixdum e pueris excessit, Romam, studiorum causa profectus, Aelium Donatum, optimum Terentii enarratorem, audivit, et Faverinum, egregium dicendi magistrum; atque tantum in litteris progressum fecit, ut se illis unice probaret. Illa vero aetate, Romani a foro et populari iactatione, ad umbratiles exercitationes ducebantur. Quo facto, praestantissimorum eloquentia a declamatorum quadam natione foede corrumpebatur, sive quod a rebus civilibus remoti, in fictis argumentis consenserent, sive quod delectandi causa per florida poëtarum loca licentius excurrent. Ita vix dici potest, quam multos falsa duarum artium similitudo decepit.

Iuvat hac de re ipsum audire: « Aliquoties quum adolescentulus Romae controversias declamarem, et ad vera certamina factis me litibus exercerem, currebam ad tribunalia iudicum, et disertissimos oratorum tanta inter se videbam acerbitate contendere, ut, omissis saepe negotiis, in proprias contumelias versarentur; et ioculari se invicem dente morderent ».

A saeculi corruptelis ad Christianos mores traductus, vel in virtutissima urbe, inter studia virtutibus in omnium exemplum eluxit. « Dum essem Romae puer sic ille - et liberalibus studiis eruditus, solebam cum ceteris eiusdem aetatis et propositi diebus dominicis sepulcra Apostolorum et Martyrum circumire crebroque cryptas ingredi, quae in terrarum profunda defossae, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepulchorum, et ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: *descendant in infernum viventes*, et raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram quam foramen demissi luminis putemus; rursumque pedentem acceditur et

coeca nocte circumdat illud Virgilianum proponit: *Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent* ».

Ad declinandam obtrectatorum invidiā, postquam Galliam peragravit, in Calcidis solitudinem concessit, ut Hebraeo Chaldeoque idiomate animum imbuueret, atque ita integros Codicis divinitus exarati fontes posset adire. « Miro discendi ferebar ardore, - ait, - nec iuxta quorundam presumptionem ipse me docui... Apollinarium Laodiceum audivi Antiochiae frequenter et colui. Quo labore, quo pretio, Baraninam nocturnum habui praceptorum... Timebat enim Iudeos, et mihi alterum exhibebat Nicodemum ».

Quum eum nonnulli incusarent, quod Christianus Hebraeum audivisset, maxime indignabundus exclamat, cum Horatii opportunis verbis:

Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?

Iuvat tamen ipsum audire queritatem de improba novorum studiorum difficultate et discriminē, quod intersit inter antiqua eademque amata Romanorum volumina: « Cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintilianī acumina, Ciceronis fluvios gravitatemque Frontonis et lenitatem Plinii, alphabetum discerem et stridentia anhelantiaque verba meditarer ».

Memorabile dictu, quamquam ardentī studio in Plautum respiceret et Tullii amplitudinem unice deamaret, in hunc laborem adeo inamoenum tam alacri animo se contulit, in ipsoque sese defixit, ut quamprimum non linguae tantum, sed litterarum vultum commutaret. Id enim illa eius verba portendunt ad Paulinum adolescentiorem, qui urbis strepitū aversatus, solivagam vitam selegerat: « Oh! si mihi liceret, - ait sanctissimus vir, - istiusmodi ingenium non per Aonios montes et Heliconis vertices, ut poētae canunt, sed per Sion et Itabyrium et Sina excelsaducere, si continget docere quae didici et quasi per manus mysteria tradere scripturarum, nasceretur nobis aliquid quod docta Graecia non habet ».

Spem nostrum non fefellisse, qui iam non unum vellet Nolanum episcopum bona fruge enutrire, sed occidentem fere orbem re ipsa magister doceret, monumenta testantur. Quare, everso per Odoacrem imperio, in coenobiis *Vulgata* celeriter describi, explanari in templis, in gymnasis ecclesiasticis a curionibus tradi; pulcherrimas quasque ex ea narrationes poëtae decerpere et carminibus concelebrare; qui que essent doctissimi, se magnum aliquod praestituros putare, si in compendium redigerent, ut rudioribus, hac in re laborantibus, opitularentur.

Non apis inde tulit collectos sedula flores,

quanta bona doctissimus iste vir, post longos labores atque meditationes, ex Hebraicis Chaldaeisque studiis, in succum et in sanguinem mirum in modum reduxit, et in universi Christiani populi commodum, veluti immensum sapientiae fluvium, aperuit. Sic eius opera, divinus Codex, cui est nomen inditum *Itala*, correctior in eloquio atque elegantior evasit, ad nos usque adlatus, doctorum manibus in aevum detinatur. Sanctus Hieronymus passim a cunctis salutatur, et fons vitae, imo Christianorum solatium; eiusque volumina Christiana laudavit usurpavitque antiquitas. In eum unum atque per suum nomen se tota convertit Christianorum familia; eum episcoli, eum omnes populi, eum Orientis occidentisque fratres, eum Latini intuebantur; is fuit unus in quo niteretur civitatis salus.

Si apud veteres Ennius sapiens et fortis et alter Homerus laudatur, quod linguas tres, Graecam, Oscam et Latinam apprime calleret, sapientissimum præ ceteris nostrum dices, qui multis Orientalium populorum linguis enutritus, acerrimo ingenio omnium fructus in rem suam incredibili facilitate reddidit. Vir plane singularis et omnibus saeculis admirandus, summa diligentia eo semper contendit, ut sanctorum sapientiam arriperet, eamque uberrima foecunditate omnibus communicare niteatur. Gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate sapientiae facile omnes superat.

Omnium sacri voluminis enarratorum agmen dicit, et in his et ipsum sanctum Augustinum ponere non dubitaverim.

Eum maximum doctorem Ecclesia appellat; nos dignum esse praedicamus, qui cum Cicerone ob elegantiam, atque eloquii fluiditatem decertare videatur.

I. B. FRANCESIA.

Ad militis sepulcrum.

*Qui parva, miles, requiescis sub cruce Christi,
Nomen ubi numerusque sepulcrum flebile mon-*

[strant,

*Quod festinanter comites, certamine saevo,
Forte cavaverunt terra tristes aliena,
Dum mediis caelis crepitant stridentia tela
Deflagrante igni, plena caligine leto :*

*Dum ballistarum tonitrus cum voce profunda
Necnon exsurdant aures strepitus iaculorum
Circumfusorum mixtus clamore virorum :*

*Tu quis sis, miles, quaero; sed nemo remittit
Responsum certum. Procul hinc tua cara marita
Te ploret reditu sublato? Forte reposcant*

*Teve patrem fletu pueri extensis manibusque,
Demissumve caput iam canitie atque dolore
Quis tollet matris? Tibi quae infanti benedixit,*

Quae tulit in genibus, te aluit puerum iuve-

[nemque.

*Bellica laus eheu! « invisaque matribus arma »
Quam multis mortem, quam fertis vulnera*

[multis,

*Pluribus innocuis quam luctus, anxietates!
Haec ego dum reputo, parva ales in aethere*

[carmen

Continuum cantat vibrans modulosque; sonus-

[que

*En sursum volitat ventos contra, quasi caelum
Perveniat pro te requiem aeternam repetitum.*

*Verbis antiquis ex corde et ego precor imo : -
« Sit tibi terra levis », Dominique in pace*

[quiescas.

*Ponat Hiems album digitis niveis tibi pallam,
Dent lacrimas pluviae mitis calidas tibi Veris,
Aestas det flores, Auctumnus serta triumphi.*

Edderton in Scotia.

DONALDUS MACRAE.

VETERA ET NOVA

De domorum calefactione.

Dum brumae tempus asperrimum perdurat, haud abs re erit de domorum calefactione aliquid scribere, atque identidem investigare utrum et quibus rationibus frigorum vim veteres nostri per artem in tectis sustinerent. Numne et de hoc argumento nobis invenire contigerit, nova, quae credimus, a maioribus iam suis usitata?

Atvero quae per *thermosiphonem* fit diaetarum nostris diebus calefactio, ea antiquis ignota videtur. Vocabant equidem *siphones* tubos illos, fistulás, canales per quos aqua fluere ac derivaretur, aut arte emitteretur in altum; Plinius de aqua in summis iugis erumpente scribebat (*Hist. nat.*, II, 65-66): « Quo spiritu acta et terrae pondere expressa, *siphonum modo emicat* »; parietes utique, prouti videbimus, tubuli ad calefaciendum sulcabant; sed vaporí aditum ad hunc effectum unice praebebant, non quidem aquae calidae, neque per *siphonum* usum; ita ut, quod sciam ac reperire mihi datum fuerit, concludere liceat *thermosiphonum* rationes ad aedes calefaciendas nuperum omnino esse inventum habendum.

Idem vero affirmari nequit de aliis calefaciendi modis, quibus etiam nunc utimur. Ne dicam de batillis, in quibus carbones ardeant, primo profecto atque communis calefaciendi ritu; *caminos*, *fornaces*, quas Italice *stufe* nuncupamus, *vaporaria*, in aedium calefactu late veteres ac studiose adhibebant.

Quamquam de *caminis* magna fuit inter eruditos dissensio, an habuerint veteres, vel saltem emissariis praeditos seu gulis, quae foco superpositae fumum excipiunt

et extra aedes a superiore parte eiiciunt. Apud Panciolum,¹ qui: « Ego crediderim – inquit – eos etiam caminos usurpasse, quibus nos utimur », resumpta colligere fas est argumenta hinc inde allata. Caminorum scilicet Papinius meminit:

... caelove paratum
Fluxit opus, Siculis an conformata caminis
Effigiem lassum Steropenm Brontonque reliquit.

Caminorum etiam eleganter notitiam protulit Sidonius Apollinaris (*Ep. 3, lib. II*) his verbis: « A cryptoporticu in hyemale triclinium venitur, quod arcuatili camino saepe ignis examinatus pullam fuliginem fecit ». Quo loco argumentari procul dubio datur in tricliniis caminos fuisse; sed non inde modo, verum etiam ex Suetonio qui in *Vitellio*: « Nec ante – scripsit – in praetorium venit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini..., etc. ». Est igitur unde confutari possit eorum sententia, qui caminorum usum veteres ignorasse tradiderunt.

Caminum tamen non eundem apud nos esse qui apud veteres, declaravit Manutius in *Commentario ad Ciceronis epistolam familiarem*, lib. VII, 10. Quae enim adnotavit – quasi gula ascendentem e foco ignem accipit et extra tectum educit innocentem, is Caminus a nobis appellatur: illi (veteres) modo pro fornace, modo pro hypocausto,² interdum pro igne usurpabant ».

De fornace quidem Vergilius (*Aen., III*):
... ruptis flammam expirare caminis.

Et Juvenalis (*Satyr., VIV*):

*Sed crescunt quocunque modo maioraque fiunt
Incide assidua, semperque ardente camino.*

Ad caminum vero, in se, ut dicam, et per se, referebatur Cicero in citata epi-

¹ *Rerum memorabilium sive deperditarum*, etc., lib. I, XXIII: *De aedificiis privatis*.

² Dictus est vulgo *hypocaustum*, sive *hypocaustum* aut *hypocaustis* locus in thermis concameratus et forniciatus qui igne calefit, quasi « subaccensum »; ab ὑπό = sub, et καίω sive καύω = accendo. Cf. FORCELLINI, *Lexicon*.

¹ Gall., *poèle*, *étude*; Angl., *stove*; Teut., *ofen*.

stola; nam in castris ubi Trebatius erat, ad quem Arpinas scribebat, nisi fornaci- bus, hypocaustis certe ac vaporariis illum uti posse, verisimile non videtur.

Sed de camino Horatius (*Satyr.*, V):

*Neque nos vicina Trivici
Villa recepisset, lachrymoso non sine fumo,
Udis cum foliis ramos urente camino.*

Quibus ex verbis facile ratiocinati sunt, exitu veterum caminum caruisse, neque ut nunc in excavato pariete, quo simul cum fumo ignis excipitur, sed, ut monere viderentur exempla, in medio cubiculo hiberno, hoc est conclave, fieri solere. Ac propterea a Catone (*De re rust.*, c. XVIII) dictum: « Focum purum circumversum, priusquam cubitum eat, habeat ». Quomodo enim – obiiciebant – circumverti focus posset; si fuisset more nostro in excavato pariete? Nostri a lateribus vertuntur; a tergo nec possunt, nec opus est. Et quum ait Columella (lib II, c. I): « Consuescat rusticus circa larem domini focumque familiarem semper epulari », quid aliud significat, nisi larem et focum, circa quem epularetur familia rustica, medium in conclavi locum tenuisse?

Has vero et eiusdem generis lucubrations ac subtilitates, quas recensere omnes longum est, si cum monumentis componamus ab effosionibus prolatis, concludere nobis licet maiores nostros, et recentiores, qui putantur, caminos cognovisse et adhibuisse, quamquam in communi usu non habuerunt. Extractiones enim caminorum cum gula ad fumum extra diaetam emit- tendum passim per Italiam repertae sunt, Baiis praesertim, et apud Perusiam et Centumcellis. Centumcellensis caminus parallelogrammi formam exhibet, muro ped. 10 (metr. 3,047) omnino ex tribus lateribus clausi; in quarto latere hiatus est. Super hoc tecto locatae sunt columellae quatuor cum epistylio, pyramidale tholiolum sustinente: hic incendebatur focus, cuius fumus a tholiolo colligebatur, qui per superimpo-

situm foramen evadebat. Profecto si aedificio tabulatum unum erat, culmen nullum oportebat; at, si, quod satis credibile est, pluribus tabulatis constaret, veri simillimum videtur gulam aut fistulam super tholioli spiraculo imponi debuisse; quemadmodum revera videre cuique est Pompeis in furno cuiusdam pistoris.

De *fornace*, – hoc verbo pro nostra *stufa* reddito, – plus minusve dicenda sunt quam quae de camino enucleavimus; est enim vocabulum cum camino promiscue sumptum. Unum addere est, Cato nem ad fumi molestiam vitandam docuisse ligna esse urenda illita amurca.

Longe maiora elementa nobis occur- runt circa aedium calefactum per vaporrem; *vaporaria* enim huiusmodi instrumen- ta appellabant.

« Blondus prodidit – ita Pancirolus loc. cit. – veteres non usos fuisse caminis, sed aquam inferius calefecisse, et canaliculis quibusdam per medios muros dispositis ita ordinasse, ut in hos ferventis aquae vapor immissus per certa quaedam orificia conclave adaptata exhalaret ». Atqui canaliculi isti, sive permeatus intra parietem relictii, per quos ascendentis calidi vapores diaetas calefaciebant, teste Varrone (I, 8), proprium *tubulorum* nomen habebant, quemadmodum *hypocausti* locus ille, uti adnotavimus, vacuus sub pavimento, ubi vapor generabatur.

Calefactionem hanc pro laconico balnèo maxime adhibebant, de quo scimus calorem per tubulos ad summam camerae curvaturam ascendisse, in cuius medio erat foramen, aeneo *clypeo* apte obstruc- tum; quo clypeo per catenam remisso, patebat calor aditus ut ad superiora con- scenderet, aestumque diaetae minueret; reducto, omnis calor in ipsa inclusus vim suam augebat; atque hac ratione loci tem- peratura perficiebatur.

At nedum balneis, sed et caleficiendis vaporandisque cubiculis diaethique vapo-

raria fuisse adhibita, pluribus ex locis evin- citur. Ita Plinius (*Epist. II*, 17): « Applici- tum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet ». Et Statius, *Sylv.*, V, 59:

Tenuem volvunt hypocausta vaporem.

Quin immo, si plura de hoc calefaciendi genere quis desideraverit, praesto est Vi- truvius, qui vaporarii calefactus rationes singillatim describit (*De archit.*, V, 10): « Ahena – inquit – supra hypocaustum tria sunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarum, tertium frigidarium; et ita collocanda uti ex tepidario in calda- riū quantum aquae caldae exierit, influat; de frigidario in tepidarium ad eundem mo- dum: testudinesque alveorum ex communi hypocausi calefacentur. Suspensurae cal- ditorum ita sunt facienda, ut primum sesquipedalibus tegulis solum sternatur inclinatum ad hypocausim, ut pila quum mittatur, non possit intro resistere, sed rursus redeat ad praefurnium: ipsa per se ita flamma facilis pervagabitur sub suspensione: supraque laterculis bessali- bus pilae struantur ita dispositae, ut bipeda- les tegulae possint supra esse collocatae. Altitudinem autem pilae habeant pedum duorum eaque struantur argilla cum ca- pillo subacta, supraque collocantur tegulae bipedales, quae sustineant pavimentum: concamerationes vero, si ex structura factae fuerint, erunt utiliores, sin autem con- tignationes fuerint, figlinum opus subii- ciatur. Sed hoc ita erit faciendum. Regulae ferreæ aut arcus fiant, eaeque uncinis fer- reis ad contignationes suspendantur quam creberrimis, eaeque regulæ sive arcus ita disponantur, ut tegulae sine marginibus sedere in ditibus invehique possint, et ita totae concamerationes in ferro nitentes sint

¹ Os hypocausti sive fornacis, quo ligna in forna- cem induntur (Cato, *De re rustica*, 80).

perfectae, earumque camerarum superiora coagmenta ex argilla cum capillo subacta liniantur. Inferior autem pars, quae ad pavimentum spectat, primum testa cum calce trullissetur; deinde opere albario sive tectorio poliatur: eaeque camerae in cal- dariis si duplices factae fuerint, meliorem habebunt usum. Non enim a vapore humor corrumperem poterit materiam contignatio- nis, sed inter duas cameras vagabitur ». De clypeo autem statuit ut « catenis pen- deat; per cuius reductiones et demissio- nes perficietur... temperatura; ipsumque ad circinum fieri oportere videtur, ut aequaliter a medio flammea vaporis que vis per curvatura rotundationes perva- getur ».

**

Si denique, ut vidimus, hodierna thermosiphonis calefactio minime adhibita ab antiquis appareat, fuit apud illos calefacien- darum aedium ratio hodie prorsus nobis ignota. De *heliocamino* dicimus, fornace scilicet aut vaporario solaris, qui locus erat concameratus et soli expositus, atque hiberno tempore calorem ex illo concipiens. « Quod ut pleniū intelligatur – (ita legimus in annotationibus ad Pancirolum) – sciendum est moris apud veteres fuisse ut *Zetam* haberent, hoc est cubiculum quoddam hibernum, frigori accomodatum, quod igni quandoque calesceret, plerumque sole. Ita enim constructum erat, ut per vaporarium quoddam solare et apricum, ad quod sol hybernus accedebat, vaporem et calorem acciperet. Locus autem, qui ita calefactus zetam evaporabat, heliocam- nus appellatus est, quasi solis vaporarium, sive aestuarium dicas, ut Iohannes Cora- sius interpretatur lib. I, *Miscell.*, cap. XIV. Sipontinus proprius ad auctoris nostri men- tem accedit, dum zetas (quae in usu nostra quidem tempestate non sunt; a veteribus autem frequentissime habebantur in aedi- bus) loca fuisse scribit in variis partibus

domus; ad quae permeatis quosdam inter parietes relictos, qui *tubuli* dicebantur, ascendentibus ex imo spiritus frigidae seu calidae, atque in pavimento sparsae, locum ipsum aut tepefaciebant aut refrigerabant, prout ratio temporum exigere videbatur. Unde tubulos Proculus definit per quos flamma torretur paries».

De hoc heliocamino mentionem invenimus et apud Ulpianum in l. *Si arborem tit. De servitute urbanorum praediorum*, Dig. VIII, 2, 17; et apud Plinium (*Ep. II, 17*): «In hac (cryptoporticu) - scripsit - heliocaminus quidem alia xystum, alia mare, utraque solem prospicit»; sed peculiaris descriptio de eo desideratur.

Si itaque heliocaminum tibi compare volueris, -candide lector, neutiquam hodie te posse credo, nisi quum aperta fenestra, quae ad meridiem spectet, siveris in diaetam tuam, sive haec zeta sit - (utrumque enim verbum promiscue usurpatum invenitur) - solem libere ingredi et spatiari. Quae quidem optima, atque prae ceteris omnibus salutaris, fuit eritque semper calefaciendi ratio.

I. F.



PRO IUNIORIBUS

Brevis inter sanctum Franciscum Xaverium cum Henrico Stanleyo collatio.

Erat dies tertia Decembribus anni nuper elapsi, tot miris memorabilibus rebus gestis insignis, quum, sub vesperum, me nonnulli sodales, mihi meoque cordi acceptissimi, ut maiori animi laetitia sanctum Franciscum Xaverium colerent, cuius nomen Deus mihi inditum voluit, acclamantes inviserunt. Hos non frigidus hiems retinuit, non ipsa rerum agenda copia, nec dulcis grandaevae geni-

trics imago; adeo in ipsis amicitia potuit... Quum diei festi occasionem laetantes arriperent, atque insignem virum Indorum et Iaponensium apostolum laudibus cumularent, eiusque incredibile religionis studium admirarentur, quod ipse nova spe recreatus late illos populos, ac toto orbe adhuc divisos primum petiit, et renovatis Apostolorum temporibus, eos salubriter convenienterque ad Christianam sapientiam advocavit. Tunc vicissim, admirabili animorum consensu, alii eius fidem laudabant, alii pronam mentis obedientiam, alii denique sublimem sui securitatem, atque admirabilem in omni vitae curriculo aequanimitatem.

Et Ioannes exclamavit: Nec ei defuit flexanima illa eloquentia, qua vir pietate conspicuus omnium mentes tenuerit, peccatum barbarorum pervaserit, voluntates denique, crassa adhuc sacrarum rerum ignorantia laborantes vitiisque insignes, quo vellet impulerit, atque ad arduam christiana religionis morum rigiditatem mirum in modum reduxerit.

Verum Thomas, qui hactenus nos tacitus varie disserentes audiebat, librum alacer manibus adferens, quem super mensula forte positum viderat, in altum tollens, exclamavit: Eia ergo sodales, en qui vos omnes ad utile silentium aliquando rediget! En hic alter qui

*multorum providus urbes
Et mores hominum inspexit,*

et immortali carmine sibi monumentum aere perennius exegit!

Quo facto, omnibus sermonibus interruptis, circa Thomam admirantes adcurrimus, eumque uti stipatores curiosius adgredimur, quaeritantes ut rem planius exponat, et qui esset, breviter dicat, vir adeo illustris, qui cum Sancto Francisco componi posset.

Thomas autem laetus, quod socios in re adeo gravi ad se tam subito convertisset,

nec diutius eos anxios esse est passus, et elata voce: «En, inquit, quem recentiores nostri, nimia fortasse admiratione percussi, ad sidera tollere consueverunt, quemque ob magnam animi audentiam, peregrinorum principem per Africam appellant. Henricus Stanleyus hic est, qui memoria patrum, miro sane ausu, humanarum laudum cupidus, universam Africam peragravit, et omnium gentium, quas obiter offendit, intimiori scientiae studio, ingenium moresque graphicè et convenienter narravit.

Sed Aloisius, qui pressius ad eius latera stabat, raptim subiunxit:

— Quam diversum equidem utriusque ingenium! Quam magnum inter utrumque discrimen! Quae enim sanctissimi viri sublimiora vota, quae animarum pulcherrima spes! Et demum quae ultima mentis nobilitas! E contrario Henricus tuus, ad famam proprius spectans, nisi ad pecuniam, eo quod paupertate compulsus improbum sane munus assumpsit, et maxima cum alacritate ad finem usque perduxit, ut Levingtoni exuvias conquereret, qui paulo ante, admirantibus civibus, primus ex Anglis ausus interiorem Africam amore studiorum pervagare, inter efferatissimas gentes miserrime vitam finivit. Quid hinc? Quae utilitas in populorum commodum vera manavit?

— Et ipse - reposuit hilari vultu Thomas - sed, quo rectius loquar, noster Henricus, humiliori attamen modo, et multis etiam meritis, illam inhospitalem Afrorum regionem late perrexit, et ipse

*Praemia laudis habet, victrici laurea fronti
Parta labore comes laurea condicor.*

Sed iuvabit de celebri hoc regionum populorumque exploratore prolixius enarrare. Namque humili loco natus in Britannia secunda, cui est nomen *Galles*, infantiam et pueritiam, mirum in modum

*per varios casus, per tot discrimina rerum,
transegit.*

Verum, experrecto praeditus ingenio, nullis deterritus periculis, quinimo audacior in ipsis capessendis, consilio inter ipsa inclaruit. Mox extorris patria, superante fortunae atrocitate, non victricia arma, non otium pro virtute secutus, apud Americanos pro hominum libertate vindicanda, strenue pugnavit. Deinde in omnem late orbem terrarum perrexit, et quamvis litterarum expers, quaeque vidit notavit, et omnia quae summo studio peragens congregaverat in vulgus edidit. Spectandum sane qua admiratione atque voluptate suas epistolas excipiebant lectores. Nunc enim naturali ingenio densior appetet, nunc copiosior; pugnat modo acumine, frequenter et pondere, nihil detrahi posse facile iudicas, nihilque adiici; nunc plus curae est in homine, nunc naturae. Praeterea hoc nomine praesertim laudandus erat, quod stilum prudenti ratione rebus et hominibus accommodavit. Sic ipse sibi fortunam effinxit, et nullius vestigia secutus, hominum ingenia et mores graphicè depingit, omniaque venustissimis iocis adsparget.

Postquam vero sibi magnam nominis famam hisce litteris per ephemerides copiosissime effusis, comparavit, eiusque gloria omnium sermone percrebresceret, florente adhuc aetate, omnibus admirantibus, ac miro sane animi studio, adiuvantibus potissimum ephemeridum scriptoribus, Levingtonii exuvias inquire deliberauit, qui paulo ante primus interiorem Africam, amore sapientiae, peragraverat, atque inter illos efferatissimos incolas misseriis forte et angustiis vitam finierat. Quum inter Anglos magnum clarissimi viri duraret desiderium, multique longinquam hominis mortem illacrimassent, moerentes, quod, ut Palinurus, ex Virgilii carmine, "nudus in ignota... iaceret arena, „omnes suam in egregium viatorem admirationem ostenderunt, atque suis suffragiis iam currenti calcaria addiderunt.

(Ad proximum numerum).

I. B. F.

COMMUNIA VITAE

De Salutatariis formulis.¹

V. - *Salutationes in diem natalem et nominalem, itemque in novum annum.*

Nonne cras dies tuus erit? - Nonne crastinus dies erit natalis (nominalis) tuus?

Resp. - Ita sane. - Erit.

Iucundum festum et bona omnia tibi! - Iterum bonum, faustum felisque tibi!

A Deo tibi fausta omnia!

Integrum salvumque in aevum Superi te servent. - Incopta tua fortunent Superi. - Omnia tibi bene vertant. - Faveant Superi rebus tuis. - Feliciter cedant quae instituisti et eris instituturus. - Feliciter exeat quod aggressus es et eris aggressurus. - Bene vertat quod agis quidque eris acturus. - Passus spinas, habe flores.

In aevum (ad summam senectutem, in multam aetatem) feliciter! - Annos in posterum plurimos!

In tuam et aliorum utilitatem vitam agas quotidie sanctiorem.

Annum novum, faustum felicem tibi. - In proximum annum tibi laeta omnia. - Opto tibi et bene ominor reliquum annum.

VI. - *Salutationes ad gratulandum.*

Citra honorem verborum (sine fuso et fallaciis, sine blanda vanitate) tibi gratulor.

Gratulor felicitati tuae.

Novae dignitati tuae (novam dignitatem, de nova dignitate) gratulor.

Tibi cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro rerum opportunitate gratulor.

Munus debitum (meritum honorem) gratulor.

¹ Cfr. num. sup.

Quod te debita laus et summa gratia prosecuta est, gratulor.

Filio tuo (filiae tuae) maximo (maximae) natu, patre suo dignissimo (dignissimae) gratulor.

Gratulor ingenium non latuisse tuum.

De filio (filia) nuper tibi nato (nata) gratulor.

Adventum tuum gratulor.

Gratulor tibi de reditu tuo.

Gratia Superis quod nobis incolumis redieris.

Quod te vivum ac valentem reviserim, vehementer gaudeo.

Tibi etiam in hoc gratulor, quod...

VI. - *Sternuentibus salutatio.*

Salve. - Salvere te iubeo.

Faustum ac felix!

Bene vertant Superi!

VII. - *Salutationes in diem; in noctem.*

Faustum diem tibi!

Faustam (placidam) noctem! - Sit tibi fausta nox.

Contingat tibi felix somnus.

VIII. - *Iter aggredientibus salutationes.*

Vale feliciter.

Votis omnibus in itinere te prosequar.

Istud haud modice cuperem, tibi comitem me adiungere, si per occupationes liceret. Bene tu ambula et redambula.

Sit iter laetum.

IX. - *Salutationes in discessu.*

Vale. - Bene (recte) vale. - Multum vale.

- Etiam atque etiam vale. - Belle vale.

Valeto quam optime.

Vale in crastinum (in biduum, ad tres dies, etc.).

Salve atque vale.

Nolo insalutatum te linquere: salve et vale.

Iam me tempus alio vocat (Nunc alio me vocant negotia quaedam); tu valebis.

Non te diutius remorabor: alias latius loquamur (nugabimur); interim, vale.

Resp. - Valebis tu quoque. - Tibi vicissim precor prosperam valetudinem.

Suntne quos per me tuo nomine velis salutatos?

Resp. - Omnes qui de me percontabuntur. - Dic me omnibus omnia laeta precari. - Amicos omnes meis verbis salutato. - Multam salutem omnibus, ac praecipue Caio.

Adde, pro epistolis praesertim, quae sequuntur:

Da operam (adnitere) ut valeas; hoc mihi gratius facere nihil potes. - Cura, si me amas, ut (quam rectissime) valeas.

Me velim, ut facis, diligas, valetudinique tuae ac tranquillitati animi servias.

Valebis, meque, ut a puero fecisti, amabis. - Ama nos, et vale. - Cura ut valeas, et me, ut amas, ama. - Bene vale, et me dilige. - Vale, nosque, quod soles, ama.

Quantum me diligis, tantum fac ut valeas, vel quantum te a me scio, dilige.

Fac valeas, meque mutuo diligas.

Valete, mea desideria, valete.

Valetudinem tuam cura diligenter. -

Fac ut valetudinem tuam cures. - Valetudini tuae, si quidem nos valere vis, omni sollicitudine fac servias.

Maxime dato operam ut valeas, si me vis valere. - Vale nostri memor.

Cura ut valeas, et ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse, nec unquam fuisse.

Cura ut valeas, et nos ames, et tibi persuadeas te a me fraterne amari.

Cura te etiam atque etiam diligenter.

- Sit tibi curae tua valetudo. - Age curam valetudinis tuae.

Reliquum est ut te orem, valetudini tuae, si me et tuos omnes valere vis, di-

ligentissime servias. - Te oro etiam atque etiam, ut valeas.

Domus te nostra tota tecum salutat.

X. - *Salutationes in mortuos.*

Vale extremum. - Vale nunc et semper!

Salve aeternum, aeternumque vale!

Salve supremum, supremumque vale!

In perpetuum ave atque vale!

Bene (placide) quiescas aeternum.

Vale, anima candidissima (iucundissima) in pace. - Pax tibi et quies aeterna.

- Pax tibi et requies Superum. - Te in pace.

Aeternum valeas, vivas in pace.

In Deo vivas nostri usque memor. - Aeternum felix vivas in Deo. - Vale, et vivas in Christo.

Ave, anima meritissima; cuius praeprecepti desiderium nec diuturnitate leniri, nec minui lacrimis unquam poterit. - Ave, quem desiderio perpetuo et lacrimis prosequemur. - Ave, o pientissime, quem ita deflemus absentem, ut caelestibus additum gratulemur. - Ave, o desideratissime, cuius nunquam sine lacrimis memores erimus.

- Aveto, anima pientissima, iam caelo recepta, ubi te anteactae vitae fides et opera Superis consociarunt.

Vale, Superique tibi retribuant secundum iustitiam tuam et fidem. - Deus tibi retribuat, quem actorum tuorum testem atque arbitrum spectavisti unice.

Vale; qui te dileximus unice, maiora promerito lacrimas dedimus.

Vale, tibique pateat ad caelum via, quam ipse sequens aeternae beatitatis factus es compos.

Vale, quodque concupisti teneas; beatus sis.

Vale, anima candidissima, quam amissam deflemus, heu! nihil tale exspectantes.

Vale, vale, vale.

ANNALES

Foederis pactum inter nationes constitutum.

Qui universi fere orbis legati Parisiis convenerunt ad pacem restituendam, die xiv mens, Februarii MCMXIX – qui dies memorabilis in historia manebit – foederis pactum promulgarunt, per quod ad nationum societatem illam deveniretur, cuius finis erit quasi novum civilem ordinem instaurare, ubi locus nullus, aut saltem difficillimus, in posterum fiat bello cuivis inter populos, iis officiis sollemniter servatis, quae singulæ nationes societati adhaerentes sibi assument, statutaque sunt in sex supra viginta initi foederis pactis. Faxit Deus ut res optatis respondeat.

Hanc equidem Societatem adire omnes gentes poterunt, ipsaque ideo Germania, quae immo nihil aliud se magis cupere profitetur, quam ut eius particeps fiat. Id saltem eius gubernii praeses aperte declaravit in oratione, quam publico coetu civitatis constitutioni ferendae post recens habita comitia, Weimar in urbe congregato, dixit, hisque verbis conclusit: « Propositum nostrum patenter nobis obiicitur: populi iura tueri, Germaniamque rem publicam fortem socialistice reddere ».

Quibus rationibus idem propositum absolu queat, quibusve fatis res trahantur, eventus docebunt.

**

Germanicae res.

Ceterum ipse temporarii gubernii praefectus Ebert, e socialistarum factione, novae civitatis praese electus est; neque de eo tutum iudicium adhuc proferre licet. Dum enim antiquos reges principesque acerbius insectatur, eosque factionemque militarem populi nunc miseriarum vehementer incusat; contra hostes invehitur,

eos non sine iactantia minitatus, ne ad extrema Germanicum populum provocent; Austriacosque Teutones invitat ut unicum cum eo civitatem constituant, quae hinc compenset, quod inde a Germania auferetur.

Interim novæ induiae feriuntur, eaque sine die, ita ut consociatis Anglo-latinis populis facultas fiat illas, si quando velint exque trium dierum praemonitione, interrumpendi. Quum autem Germani vim in Polonos resumere sese ostendissent, in novis hisce induiis opportune cautum est, ne illi ulterius opprimantur.

Dum vero haec in novi, dicam, imperii centro fiunt, haud cessant h̄ic illic civiles motus et seditiones; quarum maxima Monachii, in urbe Bavariae capite, exarsit. Ibi enim, quum Kurt Eisner, minister primus et eversarum rerum auctor, ad contionandum apud coetum populari suffragio electum primum venit, in via nefarie interimitur; quumque coetui inter legatorum commotionem caedes narratur, en aulam factiosorum manus invadit, amentique furore agitata, districtis manuballistis, novam cladem afferit, cuius victimæ fiunt bellicae rei praefectus Auer, catholicusque legatus Osel, aliquie. Hodie proletaria dictatura iri institutum nunciatur.

**

Clemenceau vita in discrimen ad ducta.

Paucis ante diebus, parum abfuerat quin et Gallici gubernii praeses Clemenceau tragicè longum suae vitae cursum absolveret. Eius enim vita per manuballistæ ictus ignave impedita fuerat a quodam insano homine, qui se « anarchistam integralem atque scientificum » – oh! vere magnum honorem scientiae tributum! – professus est. Ob feliciter superatum periculum – levi enim tantum vulnere Clemenceau affectus est – omnes qui per

orbem Universum humanitatem saperent, iure meritoque huiusmodi crimina deprecentes, apud clarum virum gratulati sunt; imprimisque Summus Parens Benedictus PP. XV, per Eminentissimum Purpuratum Patrem Archiepiscopum Parisiensem.

Kalendas Martii MCMXIX.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Expensæ innumerabiles, quas bellum nuper actum absorbuit, ex necessaria consecutione tulerunt, ut vectigalia ubique refricarentur. Ea itaque omnis generis inventa in dies videmus, et heu! patimur; nullus vero aerarii praefectus, quod sciam, imposuit adhuc **barbae tributum**. Multis equidem huiusmodi indictio nedum singularis, imaginosa, portenta somniantum videretur: attamen et ipsa fuit; fuit immo in beatissimo illo imperio, quod etiam nunc – o mirum! – Russia appellatur.

Petrus ille enim cognomento Magnus, qui, vir acutissimi ingenii, optime noverat quantopere homines menti honorem omni tempore dilexerint, quum latissimum vectigal populo suo instituere vellet, nihil aliud melius repertit quam ut pecuniam barbae decerneret. – Barba – ille argumentabatur – ornamentum est superfluum, inutile, luxuriosum; tamquam luxuriosa res ideo taxetur!

Pecunia fisco solvenda proportionalis fuit, et non aliter quam nunc progressiva vocatur; haud quidem ex ratione pilorum longitudinis, sed iuxta socialem possidentis conditionem. Soluti autem stipendiis nummus quidam erat quasi testis, eumque barbato homini secum ferre semper et ubique necesse erat, ni vellet ab implacabili regio vigili per districtos forfices, quibus erat munitus, impie et coram omnibus adamata barba amputari.

Catharina I tributum confirmavit. Anno MDCCXXVIII Petrus II indulsit ut agricolae

barbam libere gestarent; pro ceteris vero ci-vibus vectigalis dignitatem ita tuitus est, ut coacti laboris poena violatores multaverit.

Anna et duriorum bene barbatis hominibus reddidit vitam; non solum ipsis constituta pecunia tum solvenda erat, sed – io triumphe! – aliorum omnium vestigalium, quibus gaudebant, ratio duplex.

Tandem, altera Catharina imperante, barbae tributum abrogatum est.

Ipse qui scribo memini vidiisse me illorum nummorum imagines duas. In altera haec inscriptio legebatur: *Diengi wziaty*, hoc est, « pecunia accepta ». Inferius insculpta erant nasus, os, barbaque tum superioris tum inferioris labri; ad laevam partem imperialis aquila; omnia autem a laureo seruo circumdabantur, ad imum aperto. Alter nummus, anno MDCCV cusus, imperiale aquilam praebebat, sub qua erat inscriptio ex Slavonicis litteris. Laurea et h̄ic corona, eaque tamen clausa.

Nunc vero scrupulus me torquet; an quaestoris menti per notulam hanc meam argumentum praebuerim huiusmodi vectigal restituendi, quod me ipsum – barbae enim, quamvis non longe promissae, honore augor – imprimis feriat. Verum est nos Russorum vitam, adhuc saltem, non vivere; sed ex armorum dimissione, quam proximam nunciant, tantum metalli supererit, ut facile hoc adhiberi possit ad totidem tonsorios nummos, cum laureis sertis suis cudendos. Quod avertant Superi!

**

Martio mense redeunte, rediit « legalis » illa hora, quae tertio iam anno, ni fallor, unius horae spatium supervolavit. Referenda et ipsa est supra non laudato bello; veterem hominem scilicet, tempus, cui armorum clades pepercera, novi homines noluerunt integrum servari, suaque igitur manu mutilum reddidere. Peregrinum chirurgum historiae demum mandemus; ne vero obliviscamur, et cum ipsa detrunctione eandem vitam nobis esse

vivendam, eundem dolorem sustinendum, neque fore ut sol horam unam longiorem splendeat, neque caelum novo codici lucem suam aptet; omnia denique futura uti praeterierunt, in eiusdem semper tenoris motu horologii, cuius lanceolas reapse hominis manus unice turbavit.

Atque tamen si scire potuisset, **quanta cura tractandum sit horologium!** Fuit enim qui attente quoque perpendit qua hora eius – quomodo dicam? – elasterium opportunius tendendum sit; exque argumento, quod sequitur, deduxit, id mane esse faciendum. Vis enim horologium movens – sic ille – ex ipso elasterio constituta est, chalybeo, valde resultante, valdeque temperato, studiose in se involuto per duodecim prope orbes, compresso denique in parva capsula rotunda dentulisque munita. Quum horologium tendimus, elasterium tenditur; quod paullatim sese revolverens ad motum producendum, lente vim suam explicat, quae subinde minuitur usque dum, exhausto vigore, immobilitatem assequatur. Atqui si mane delicatam machinam tenteris, maxima eius efficientia per diem fruaris, nempe quum magis est necessarium horologio normam et renixum conferendi, ut exactam indicet horam.

Estne vobis persuasum? Haud, fateor, mihi,

* * *

I o c o s a.

Postquam sensuum usum patienter explanauit, Tuccium videns ad figuras, lectionis librum ornantes, intentus, Magister ab eo petit:

- Cuinam sensui oculi tui inserviunt?
- Visui.
- Et nasus?
- Odoribus percipiendis.
- Tuaeque aures?
- Auditui ac tactui.
- Eia vero, barde! Qua affirmare potes aures tuas tactui suppeditare?
- Nonne intra manum interdum eas prehendis atque decutis?

Tuccius Piccio condiscipulo:

— Visne ludum, qui ab animalibus, simul ludamus?

— Optime quidem; ludamus.

— Ego igitur canis tuus ero; cuius in ostu statim immittes frusta illa sacchari, quae in pera servas...

* * *

Aenigmata.

I

Iam telum dixere meo de nomine Persae,
Etrusci pelago me posuere ratem;
Nec timui quandam Cadmi laniare nepotem,
Illi cum cervi contulit ora Dea.
Me nunc in silvis gaudentem caedibus horret
Indus, dum praeceps usque per arva fluo.

II

Urget luciferas caeli per inane quadrigas;
Mox ruit, et niveos flumine tingit equos.
Mutas literulam? Salienti gurgite nata,
In tenui vitro lucida mica nitet.

(Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1] *T-aurum*; 2] *S-anguis*).

IOSFOR.

C. DEL VECCHIO

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Henricus. Memores versus compositi a JOSEPHO FONTS, Pbro, Lic. Theol. et in Seminario Trid. Vicensi humaniorum litterarum professore. – Vici, ex typographia Balmesiana, MCMXVIII.

De censuris “latae sententiae”, quae in Codice Iuris Canonici continentur commentariolum digessit JOHANNES CAVIGIOLI. – Augustae Taurinorum, edid. officina internationalis (S. A. I. D.). – Ven. lib. 3,75.

JOSEPHUS DR. FORNARI, Sponsor.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

SINGULIS